



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

VI. Vt pro sepultura nihil exigatur, & vt in ecclesia nullus sepeliatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO  
CHRISTI

nire credat, vt peccata sua confiteatur, vt emenda-  
tionem promittat, si Dominus vitam concesserit :  
pœnitentiam pro culpis commissis spondeat : vt  
substantiam suam, dum adhuc sensus & ratio in  
eo vigent, disponat : vt peccata sua eleemosynis  
redimat, vt his qui in se peccauerunt indulgeat, vt  
rectam fidem & credulitatem teneat, vt de Dei mi-  
sericordia nunquam desperet. Cum his & huiusce-  
modi allocutionibus fuerit mens infirmi releuata,  
data benedictione recedat sacerdos, non post mul-  
tum reuersurus, detque locum vt ægrotus de pec-  
catis suis possit cogitare.

V.

Infirmus, qui necessitate mortis vrgente confi-  
tetur peccata sua, sub ea conditione a sacerdote re-  
concilietur, vt si ei Dominus vitam donauerit, sa-  
nitatemque reddiderit, secundum qualitatem deli-  
cti omnimodis pœniteat.

VI.

Præcipiendum, secundum Canonum auctori-  
tatem, vt de sepulcris & hominibus sepeliendis ni-  
hil muneris exigant, nisi forte qui sepelitur, viuens  
iusserit ecclesiæ, in cuius atrio sepelitur, de suis  
aliquid tribuere; aut etiam post mortem illius, qui-  
bus commissum est eius eleemosynam facere, de  
rebus illius aliquid dare sponte voluerint. Tamen  
nullatenus a presbyteris illis aliquid exigatur, siue  
ab illis qui locis & vicis præsumt. Prohibendum  
etiam, secundum maiorum instituta, vt in ecclesia  
nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu,  
aut extra ecclesiam. Infra ecclesiam vero, aut pro-

13. quæst. 2.  
Præcipien-  
dum.  
Ino part. 3.  
cap. 22.

pe altare, vbi corpus Domini & sanguis conficitur, ANNO CHRISTI  
nullatenus habeat licentiam sepeliendi.

## VII.

Iuo part. 5.  
cap. 208.

Can. 2.

Omnibus ministris ecclesiasticæ dignitatis interdici-  
mus, vt nullus, quocumque munere aut fa-  
uore corruptus, clericum alterius parochiæ la-  
tenter aut furtiue ad ordinationem subintrodu-  
cere præsumat. Quod si fecerit, iuxta Calchedo-  
nense decretum, is qui ordinatus est, donum san-  
cti Spiritus, quod furari conatus est, amittat: &  
qui mediator extitit, si clericus est, proprio gra-  
du decidat, si laicus aut monachus, anathemati-  
zetur.

## VIII.

Iuo part. 3.  
cap. 51.

Sicut enim episcopus non plus potest habere,  
quam vnam ciuitatem, & vir vnam vxorem, ita  
presbyter vnam tantum ecclesiam. Itaque nullus  
presbyter plures præsumat habere ecclesias: nisi  
forte alios presbyteros sub se in vnaquaque habeat,  
qui nocturnum atque diurnum officium solen-  
niter adimpleant, & Missarum celebrationes quo-  
tidianis expleant ceremoniis.

## IX.

Vt de oblationibus, quæ offeruntur a populo,  
& consecrationi supersunt, vel de panibus, quos  
offerunt fideles ad ecclesiam, vel certe de suis,  
presbyter conuenienter partes incisas habeat in  
vasè nitido, vt post Missarum solennia, qui com-  
municare non fuerunt rati, eulogias omni die do-  
minico, & in diebus festis exinde accipiant, & il-  
la, vnde eulogias presbyter daturus est, ante in  
hæc